

16



10. 10. 17

794²
gr.



MEDICATIO DUORVM
IUVENVM:

Quorum unus

CHOLERA;

Alter

DYSENTERIA EPIDEMICA
LABORAT.

QVAM

Divino, adjuvante Numine,

SVB PRAESIDIO

CLARISSIMI VIRI

D. HENRICI REGII,

Reip. Vitrajectinae Poliatri, & Medicinae

ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicè ventilandam proponit

THEODORUS LIEBERGHEN Hagâ-Batavus;

Ad diem 7. Iunij, horâ 9. matutinâ.



Naturâ & Industriâ.

TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ IOHANNIS à NOORTDYCK, In Acad.

Typog. Anno 1648.





Doctissimis, spectatissimis, prudentissimisque Viris

D. GVILIELMO LIEBERGHEN, Me-
dicinam apud Hagienfes summa cum laude exer-
centi, Patri meo omni obsequiorum genere æternum
colendo.

D. GVILIELMO COOMANS,

D. CORNELIO van SOVTELANDE,
Hagiensis Reipublicæ Syndico præstā-
tissimo;

D. CORNELIO BORSMAN,
Curia Hollandicæ procuratori dignif-
simo,

Avunculis meis de-
bita reverentia
prosequendis.

Medicum hoc γυμνασιου

DEDICO

THEODORUS LIEBERGHEN.

MEDICATIO IUVENIS CHOLERA CORREPTI.

I.

Iuvenis quidam temperamento biliosus, dulcibus & pinguibus vesci solitus, cum in eadem mensa æstivo tempore cœpis, peponibus, raphanis, aromatibus, & vino generoso largius usus fuisset, cœpit à cœna, cum se ad somnum composuisset, nauseam cū dolore pungente & anxitate, circa ventriculum & reliquum abdomen, sentire. Paulò post subsecutus est vehemens vomitus, & alvi per inferiora evacuatio; quibus tanta copia humorum corruptorum & biliosorum cum flatibus, torminibus, & magna angustia, per vices fuit ejecta, ut jam æger valde fitiat, animique deliquis, exsudationibus, & magna virium imbecillitate affligatur.

II.

Afficitur in hoc ægro ventriculus cum intestinis, ut ex nausea, vomitu, alvi que copioso secessu est manifestum: afficitur etiam cor & habitus corporis, ut ex animi deliquis, & sudoribus, ac vitium illa imbecillitate patet.

III.

Morbus, qui eum affligit, est intemperies ventriculi & intestinorum biliosa, & nidorulenta, ac corrupta; quæ nauseam, vomitum, alvi que secessum copiosum, ac animi deliquia inducens, Cholera vulgò appellari solet.

IV.

Causa procatartica huius morbi est usus alimentorum pinguium & dulcium, antehac ab ægro nostro frequenter usurpatus; item larga illa cæparum, peponum, raphanorum, aromatum, & vini generosi in eadem mensa assumptio. Hinc enim magna biliosorum & acrium humorum copia in corpore ejus genita Antecedent-

Dd 2

1611



tem hanc morbo præbuit causam. Eaque vehementius circa ventriculum & intestina, item in eorum & reliqui corporis vasis ebulliens & effervescens, *Continens* hujus morbi & symptomatum est causa.

V.

Nam hinc ventriculus irritatus primum nauseam & ad vomendum proclivitatem, magnamque anxietatem, per inordinatum spirituum, in ventriculum, intestina, & cor, ex cerebro defluentium, influxum induxit. Aucto verò hinc illo spirituum, in illarum partium fibras, tum obliquè adscendentes, tum descendentes ruentium, inordinato influxu, mox etiam per fibrarum istarum contractionem, subsecutus est vehemens vomitus, & alvi per inferna evacuatio; quibus humores acres, corrupti, & effervescentes, tum à corde ex arteriis celiacis & mesaraicis in ventriculum & intestina propulsi, tum in iis antea collecti, tanto impetu, tantaque copia per vices, cum multis flatibus & torminibus, à magna illa humorum effervescentiâ ortis, fuerunt evacuati, ut, dissipatis & expulsis, per magnam evacuationis istius vim, spiritibus & humoribus utilibus, æger jam animi deliquis, exsudationibus, & siti, magnoperè torqueatur.

VI.

Morbus hic est valde acutus, ac proinde periculosissimus: metus enim est, ne ex humorum perturbatione, & spirituum humorumque evacuatione magna, æger subito per lipothymiam vel convulsionem extinguatur.

VII.

Curatio itaque mox sedulò instituenda eaque in humorum detersione, alteratione, & evacuatione, ac symptomatum mitigatione consistet.

VIII.

Primò itaque, cum etiamnum adsit nausea, humores ita detergentur, alterentur, & blandè educantur:

℞. hordeo.

℞. hordei tosti. m. j. s.

Decoque in aqua chalybeata ad tertiae partis consumptionem. pro lib. j.

Colatura adde

syr. cydonior., acetositat. citri an. vnc. j. s.

syr. de mentha. vnc. s.

Misce. F. Iulapium, de quo frequenter aliquid exhibeatur.

Interea temporis frictiones & ligaturæ fiant brachiorum & crurum, subinde solvendæ; ut iis fluxus humorum ad ventrem nonnihil sufflaminetur.

Post absterfionem leniter factam, & ubi materia corrupta sic satis evacuata fuerit, exhibeatur hoc electuarium corroborans;

℞. conserva rosar. antiq.

radic. cichor. an. vnc. j. s.

rob. de ribes, carnis cydonior. an. vnc. s.

sem. acetosa, citri, pulv. an. dragm. s.

cornu cervi usti præp. dragm. j. s.

cum syr. de acetositate citri q. s. F. Electuarium, de quo sumat frequenter quantitatem castaneæ majoris.

Ubi per diem unum & alterum symptomata vehementiora quieverint, blando cathartico reliquæ materiæ peccantis, siquæ supersint, educi poterunt.

IX.

In victus ratione aër ad frigidum paullulum declinet. Cibus sit ex ovis sorbilibus, carnibus gallinarum, vervecum. Parum autem alimenti admitrat, donec vehementiora symptomata mitigata fuerint. Potus sit cerevisia tenuis. Quies corporis imperetur. Somnus omni ratione conciliandus. Vitetur ira, mæstitia, sollicitudo.

A 3. MEDL

MEDICATIO IUVENIS DYSENTERIA EPIDEMICA.

LABORANTIS.

I.

Iuvenis 25. annorum biliosus, diarrhæam biliosam per tres dies tempore dysenteriae epidemicæ, cum virium jactura ex frequentioribus dejectionibus orta, passus, sanguinolenta spermaticæ ranarum simillima jam frequenter excernit excrementa. Adfunt dolorosa ventris tormina, tempore excretionis potissimum molesta. Pulsus habet justo celeriore, caloremque totius corporis acrem ac febrilem. Siti, anxietate, & vigiliis magnopere inquietatur.

II.

Afficiuntur in hoc ægro intestina, ut ex sanguinolenta per anũ copiosa excretionem, torminibus dolorosis conjuncta, est manifestum. Afficitur etiam cor & totus corporis habitus; ut ex pulsu celeri, & acri ac febrili totius corporis calore, ac siti, patet.

III.

Morbis, qui eum affligit, est intemperies intestinorum acris, biliosa, & putrida, quæ eorum tunicam abradens & erodens, sanguinemque & materiam spermaticæ ranarum similem in capacitatem eorum effundens, ipsaque ad eorum excretionem frequentem & dolorosam irritans, febremque inducens, *Dysenteria*, febris comitata, appellatur.

IV.

Causa procatartica hujus morbi est aëris intemperies acris & maligna, à qua, in pulmones per inspirationem delata, sanguis in iis existens fuit infectus, qui deinde cor ingressus, & inde per totum corpus dispersus, *Antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars verò istius infecti sanguinis in intestinis à reliquo sanguine separata, ibique putrescens, & acrimoniam sufficientem adipiscens, *Continens* hujus morbi & symptomatum est causa.

V.

Putredine enim, perpetuò ad cor veniente, accendit febrim, anxietatem, totius corporis ardorem acrem, pulsum celerem, si
tim,

rim, & vigilias molestas inducentem. Acrimonia verò abradens & corrodens intestina, eaque ad exertionem, per spirituum animalium in fibras obliquè descendentes influxum perficiendam, vellicans, excitat excrementorum, spermatis ranarum visciditate & colore similium, nec non sanguinolentorum, excretionem, dolore & torminibus, excretionis tempore, ob humores tum eò maximè fluentes, potissimum infestantibus, comitatam.

V I.

Metus est, ne hic intestina ab acrimonia materiæ peccantis ita exedantur, ut vasis mesaraicis corrosis, sanguis tantâ copiâ effundatur, quæ ægro nostro vitam adimat.

V II.

Curatio itaque sedulò instituenda; eaque in materiæ acris detersione, evacuatione, & attemperatione, intemperieique reliquæ correctione, & intestinorum erosorum consolidatione consistet.

V III.

Primò itaque præscribatur talis haustus purgans:

℞. rhabarbari tosti & pulverisati scrup. iij.

syr. ros. solut. vnc. j. s. aqua hordei tosti vnc. ij.

Misce. F. Haustus mane exhibendus.

Evacuatione peracta, sub vesperam, ad acres humores, febrilemque calorem temperandum, utatur sequenti potione.

℞. aqua acetosa, fragaria, folior quercus an. vnc. ij.

pulv. nucis moschata, cinnamomi, sant. citr., an. scrup. s.

Coquantur levi ebullitione. Colatura adde

syr. de acetositate citri vnc. j. mivæ cydon. vnc. ij.

Misce. F. Potio, qua utatur ad libitum.

Sequenti die pro ulteriore detersione utatur decocto hordei tosti chalybeato; & simul pro corroboratione & refrigeratione præscribatur sequens conditum:

℞. conserva rosar. antiqua vnc. j. s.

diacydonij simpl. vnc. j.

nucis muschata coudit. dragm. j.

spec. diarrhod. abbat. dragm. s.

Cum

Cum syr. de acetos. citri F, Conditum, de quo sumat frequenter magnitudinem castaneæ.

Circa quintum aut sextum morbi diem injiciatur Clyster talis abstergens, refrigerans, & adstringens:

℞. rad. tormentilla vnc. s.
herbar. plantag. nis, endivia, lactuca, portulaca an. m. j.
flor. rosar. rubr. m. ij.

Coque in s. q. aqua hordei tosti ad vnc. xv. quibus colatis adde sacchari rubri vnc. j. mel. rosar. colati vnc. j. s.
vitell. ovi N^o. j. Misc. F. Clyster.

Hic ubi per biduum singulis diebus semel injectus fuerit, & intestinorum exulceratio satis deterfa, majoris adstrictionis & consolidationis causa, talis clyster vicissim per biduum, singulis diebus semel, erit injiciendus:

℞. rad. tormentilla vnc. s.
herbar. plantag. samicula, bursæ pastoris an. m. j. s. portulaca m. ij.
fol. or. rubi, quercus an. m. j.

sem. plantag. sumach, oryza an. dragm. j. s.
Coq. in s. q. lactis chalybeati ad vnc. xv. Colatura adde sevi hircini vnc. i. succi acacia, hypocistidis an. dragm. j.
vitell. ovor. N^o. ij. Misc. F. Clyster.

Ubi per biduum eo usus fuerit, assumenda erunt per os varia adstringentia, quale est hoc electuarium:

℞. conserva rosar. antiq. vnc. i.
croci martis, corallo. rubr., boli armeni, terra sigill. an. drag. j.
sem. plantag. tosti dragm. i. s.

Cum syr. de rosis siccis q. s. F. Electuarium, de quo aliquoties in die sumat castaneæ quantitatem.

Venter foris inungatur unguentis adstringentibus & corroborantibus.

IX.

In diæta dër sit temperatus. Cibus sit ex jure carniam acetosa, endivia, & portulaca alterato, cum pauco panis candidi benè fermentati, item puls ex oryza. Potus sit cerevisia tenuis, & vinum rubellum adstringendi vim habens. Quies imperetur. Somnus concilietur. & animi ajectiones tristes alique vehemètes ablegentur.


00 A 6396

ULB Halle 3
002 928 167




St





de qua capiat bis terve in septimana dragm.
ulos duos, mane ieiunus.

X.
liquoties purgato, utatur hac aquâ stilla-
os, & oculos corroborante, humoresque
mane cochlear unum quotidie bibendo.
iculi, ruta, euphrasia, verbena,



26

101

MEDICATIO DUORVM
IUVENVM:

Quorum unus

CHOLERA;

Alter

DYSENTERIA EPIDEMICA

LABORAT.

QVAM

Divino, adjuvante Numine,

SVB PRAESIDIO

CLARISSIMI VIRI

D. HENRICI REGII,

Reip. Vitrajectinae Poliatri, & Medicinae
ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicè ventilandam proponit

THEODORUS LIEBERGHEN Hagâ-Batavus;

Ad diem 7. Iunij, horâ 9. matutinâ.



Naturâ & Industriâ.

TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ IOHANNIS à NOORTDYCK, In Acad.

Typog. Anno 1648.

